



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**


Cap. 10. Circa mutuam obligationem Domini, serui, ac famuli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80586)

Sec. II. De Precepto IV. Problemata. 257

¹⁷² Non tenetur alere vxorem, etiam si ad suum consortium post damnationem admittatur, & in eius seruitio, toro, & obsequio sit. Quia obligatio cohabitandi, non oritur ex solutione dotis promissæ, sicut oritur obligatio alendi vxorem, sed ex intrinseca natura contractus ipsius matrimonij, & ex lege naturali, ac diuina. Vnde qui gratis se vult rursus submittere cohabitandi obligationi, non ideo submittitur obligationi alendi: hæc enim e dote nascitur; quæ si deperit vxoris ex culpa, deficit alendi obligatio. Ità Rojas de heret. part. 2. nu. 225. Couar. 4. Decret. par. 2. cap. 7. num. 2. Bæza de non melior. filiab. cum a dotis. cap. 32. num. 21. Matienzo lib. 5. receptil. tit. 1. rubr. gloss. 1. num. 91. Pars, veraque probabilis.

¹⁷³ Existimo autem non teneri maritum, siue admittat, siue non admittat vxorem, eam alere si patentes illius possint ei alimenta impertire; teneri autem in defectu parentum, eam alere si ad coniugale consortium admittit. Quia aliud est, vxorem sine dote ducere, aliud cum dote ducere, quam vxor sua culpa seu proprio delicto amittit. Nam vir ratione dotis solutæ tenetur vxorem alere, & dum non soluitur, non tenetur; perinde est autem culpa vxoris dotem amitti, & publicari, ac si non esset soluta. Non tenetur ergo vir eam alere, quando illa, vel heresi, vel quocumque alio crimine culpa sua dotem amittit. Nec est simile, quando indotatam duxit. Quia tunc sua sponte, nullo recepto pretio, se ad illam alendam obligauit. At si illam admittit, & in eius consortio sit, parentes autem non possunt ei alimenta impendere: amor coniugalis, & nexus tam arctus posulat, ut à viro alatur, ne fame depercat. Accepi ex Sanctio lib. 9. de matrimon. d. 5. num. 10. quem sequitur Fagund. tom. 2. Decalog. libr. 4. cap. 13. num. 7.



CAPVT X.

Circa mutuam obligationem Domini, serui, ac famuli.

PROBL. XLI.

Famulo, qui promissit seruire anno integro, pro assignato stipendio si prius sex mensibus tantum in seruitio, dominus tenetur, & non tenetur dimidium mercedis soluere.

¹⁷⁴ Non tenetur dimidium partem soluere. **N**on tenetur, dimidium ei partem soluere, sed paulò minorem, & de iure alicuius Regni nihil ei debetur. Quia fidem datam violauit. Sic Syluest. v. Famulus, q. 5. Azor. 10. 2. l. 11. c. 39. q. 7. Barthol. ad V. Viuorum, §. Quod in anno, §. soluto matrimonio, & alij communiter.

¹⁷⁵ Tenetur plene. Tenetur dominus ei soluere dimidium stipendij partem. Quia famulus dimidium temporis proculdubito seruitium præstitit: Ergo dignus est illius seruitij mercede. Ità Fagund. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

gundez tom. 2. libro 4. capite 15. num. 15.

Ei lubens adhæreo, nec prius sententiæ resolutionem improbo: Existimo enim eam, eiusque fundamentum in foro externo procedere: nam in foro interno probabilius crediderim teneri dominos pro rata famulis stipendia impertire. Quia conscientia foris est tribunal veritatis, & ille dimidium temporis seruiuit, cui labori sua merces responderet. Si autem alicubi speciali iure integra merces abnegatur famulo non implenti tempus promissum id fundatur in malitia seruorum, & in damno, quod ob malitiam eorum præsumitur dominis obuenire. Suppono autem hic nec damnum, nec malitiam interuenisse. Nam si famuli malitia damno herus afficeretur, aliterem, posse herum à mercede tanquam extrahere, non tam in poenam malitiæ, quam in damni satisfactionem.

PROBL. XLII.

Si Famulus seruiat minori pretio infirmo sperans aliquo beneficio à domino esse donandos, quod postea minime accipit. Hic potest licite, & non potest, id occultè compensare.

¹⁷⁷ Sunt nonnulli famuli, qui minori mercede seruiunt, quàm alioquin spectaro infirmo stipendio sit iusta: volunt tamen id libenter remittere, ac condonare suis dominis, vel propter beneficia iam accepta, vel ut gratiam apud illos mereantur spe maioris boni ab illis, aut illorum causa obtinendi: & tunc quidem non tenentur domini eis mercedem augere vique ad iustum pretium infirmum: neque illi poterunt sibi occultè compensare. Quia ibi non cernitur nuda locatio, sed per mixta condonatio. Molina tom. 2. de iust. d. 506. Quæsierim autem, num si postea nihil gratiæ à domino obtineant, possint occultè compensationem facere?

¹⁷⁸ Possunt quidem. Quia beneficium, vel gratia ab hero sperata fuit quasi conditio, sub qua ea facta est mercedis iustæ condonatio. Nam si in famuli mentem venisset, se oleum, & opem perdituram, nullatenus huiusmodi gereret condonationem. Sic Doctores nonnulli apud Molinam tom. 1. de iust. d. 210.

¹⁷⁹ Minime possunt. Quia spes promerendæ gratiæ, aut beneficij consequendi, non fuit simpliciter conditio sub qua ea facta est condonatio, qua non secuta reddatur ea condonatio nulla; (quod illi Doctores verè affirmant) sed est causa motiua, & finalis donandi. Vnde si fructus speciei desit, sibi famuli non domino imputent. Ità Fagund. tom. 1. Decalog. libr. 4. cap. 15. num. 33.

¹⁸⁰ Hoc vnice verum existimo. Parum enim refert, quod si id scirent, nullo modo inferuirent pro mercede illa iusto infirmo minori. Nam obligatio domini erga seruos oritur non ex iis, quæ fierent, sed ex his, quæ sunt facta.

Y 3 PROBL.

PROBL. XLIII.

Dominus potest licite, & non potest vendere mancipium, quod de incedo matrimonio sine illius licentia tractat.

181
Non potest.

Non potest. Quia ius serui ad matrimonium contrahendum, non potest à Domino impediri; sunt enim serui ad hoc sui iuris. Et quia in matrimonij fraudem id à Domino gereretur; fraus autem & dolus nemini debet patrocinari: omnia enim iura diuina, & humana fraudi obstant. Ergo non potest dominus licite mancipium vendere, vel alio vendendum mittere, nè in eam coniugium. Sic viri docti admodum in manuscriptis.

182
Potest committi.

Potest plane. Quia dominus non amittit dominium in seruos per eam matrimonij tractationem: unde sicut ante eam eos vendere poterat, ita & post eam: quod non in matrimonij fraudem, sed in proprium commodum exequuntur. Ità nonnulli, quos presso nomine memorat Fagundes 10. 1. Decal. l. 4. c. 13. num. 6.

183
Auctori v. solutio.

Rem ita decido cum Sanctio l. 7. matr. d. 21. num. 9. si mancipium iam fidem suam de matrimonio contrahendo adstrinxit, aut sponsalia sunt celebrata: non potest licite dominus illud vendere. Si verò sponsalia nondum inita sunt, poterit tunc dominus seruum vendere, nihil impediens praefata tractatione. Quia per illa sponsalia iam est coeptum matrimonium: & quia seruus, inito domino, poterat fidem suam feminae seruae vel liberae, de matrimonio cum ea inuendo, adstringere: ac proinde per eam promissionem, & fidem legitimam ius femina illa ad coniugium praefati serui comparauit. Vnde cum iam tertio ius sit acquisitum, non potest dominus illud impedire. Antè sponsalia verò, cum ius nulli tertio sit acquisitum, non amittit dominus, nec ei interdictum manet ius, quod antea habebat, ad vendendum seruum. Porro nec directe ille impedit matrimonium, sed iure suo utitur, vt suae indemnitati consulat. Nec potest dici fraudem in matrimonium committere, qui iure utitur suo, vt Sanch. docet l. 3. de matr. d. 18. numero vigesimo nono.

PROBL. XLIV.

Non est integrum, & integrum est dominis seruos coniugatos, qui sine eorum consensu inire coniugium, in partibus longinquis separatim vendere.

184
Non est integrum dominis separatim vendere.

Non est integrum domino diuendere separatim coniugatos seruos in partibus longinquis etiam quando sine eius consensu fuit contractum matrimonium. Quia in fraudem matrimonij fit, seruos coniugatos ita distrahere, vt non valeant matrimonij vsui operam dare. Et quia interest Reipublicae, ne quis re sua

abutatur: abuteretur autem dominus domino, quod habet in seruum, si illum in longinquis terras in fraudem coniugij distraheret: maxime cum non desint vbique seruorum emptores & in eadem Vrbe, vel pago, qui iusto pretio emant. Sic D. Tho. in 4. dist. 36. q. vii. a. 2. ad 4. Palud. ibi, q. 2. a. 1. concl. 13. n. 9. Turrecr. ad c. fin. 29. q. 2. num. 2. Vigner. l. instituit. c. 26. §. 17. q. 9. impedim. 2. Ludou. Lopez l. 1. de contrah. c. 5. sine.

Integrum est domino diuendere separatim seruos coniugatos in partes longinquis defendendos, quando sine eius consensu fuit initum matrimonium. Quia id innuitur esse à lethali culpa liberum in c. 1. de coniug. seruor. Ità Nauar. sum. c. 22. num. 34. fatuus: *Honestum esset, nè in remotas partes venderet, etiam dum contra voluntatem eius contraheret: quamuis ad id sub poena peccati mortalis non teneatur iuxta communem in c. 1. de coniug. seruor. Henriq. l. 1. c. 10. numer. 4. Tolet. l. 7. c. 3. num. 3. propos. 1. Rosel. v. seruus 3. sine. Supplem. sum. Pisanæ v. seruus 3. n. penult. Sa v. Matrimonium, de imped. dirim. n. 1. & alij.*

Memini me to. 4. hanc enoluisse questionem. Attamen vt in re tam graui, & passim occurrenti ius miseri mancipij non violeat, vberius quid asserendum probabilius sit, exponam. Si alter coniux sit liber alter seruus, potest seruus licite venditari in partes longinquis, siue consentiente domino, siue inuito, siue nesciente coniugium fuerit initum. Quia non posse vendi seruum coniugem à domino, confurgit ex vinculo matrimonij, in quo dominus consensit, vel non consensit: ne scilicet ex eo, quod in longinquis terras distrahitur, matrimonij impediatur vsus: vt omnes sententur: At quando alter coniux est liber, minime impeditur vsus huiusmodi, nam coniux liber tenetur coniugem seruum sequi propter ius debiti: Ego. Quando vterque coniux est seruus eiusdem domini, vel vnus tantum liber, & alter seruus sed liber seruum sequi commode non potest, & ideo ab obligatione eum sequendi est immunis: si consensu domini matrimonium initum fuit, tenetur dominus de iustitia, non ita distrahere seruum, vt matrimonio vti non possit. Quia qui concedit principale, concedit etiam accessorium, c. Prudentiam, de officio delegari. Hanc autem propositionem imitari, modo ancilla, vel seruus male moratus non sit, latro, aut fugitiuus, ita vt non possit dominus illum domi retinere sine detrimento, nec in proprio loco, aut in partibus vicinis emptorem inuenit. Sine dominus consentiat matrimonio suorum seruorum, siue non consentiat, seclusa necessitate vendendi seruum, vel ancillam; non potest illum, aut illam diuendere in partes remotas, vbi matrimonij vsus impeditur: unde inuenio hic iusto pretio, mortaliter peccaret eum, vel eam in alium locum distrahendo. Quia impedire vsus matrimonij sine causa, & necessitate res est grauissima: vnde miror Henriquez Toletum, & Nanarrum relatos asseruisse, illicitum id esse, sed non mortale: ideoque Sanch. citandus eorum opinionem improbabilem esse censuit. Si vterque coniux seruus sit diuersorum dominorum, & in diuersis locis habitantium, ita vt mutuo coniuncti nequeant obsequijs domini vtriusque satisfacere:

185
Integrum est.

186
Qui i. sen. nam v. i. i. expens.

Seçt. II. De Præcepto IV. Problemata. 259

cere: tunc ut evitetur incontinentia pe-
riculum potest Ecclesia cogere alterum do-
minum, ut vendat suum mancipium alteri do-
mino id volenti emere. Quia sicut quando
servus est multorum dominorum, & ei vnus
ex illis pro sua parte concedit libertatem, in
favorem libertatis coguntur alij domini suas
partes vendere, ut servus ille liber fiat, *lib.*
1. C. de communi servo manumisso: ita cogit-
tur alter dominus vendere servum in favo-
rem matrimonij, cum matrimonij causa sit
favorabilior in iure, quam causa libertatis. Et
si neuter dominus emere velit, cogendus erit,
alter vendere cuicumque extraneo in parte
illa, in qua alter servus adest; & si nullos in-
veniat emptor, emit Ecclesia, argumento
ducto ex *c. Fraternitatem dist. 54*. Hæc qua-
tuor propositiones accepi ex *Santio lib. 7. de*
matr. d. 22. num. 8. & 9. 10. 11. & 16. & Fa-
gundez tom. 1. Decal. lib. 4. cap. 14. num. 18.
20. 21. 23, qui quidem plures alios citant.

PROBL. XLV.

*Peccat, & non peccat herus, qui famulis ar-
culam apertam relinquit eo sine, ut su-
rentur, & postea ab illis caveant. Vbi plu-
ra de licitis, & illicitis furis famulo-
rum enuncio.*

187
Non peccat. **N**on peccat herus: Quia licitum est ei, suis
bonis custodiendis providere, etiam inten-
dendo, ut furetur, & delinquant famulas, si ali-
ter eum non valeat de furto convincere. Sic
Petrus Navarra lib. 3. de restit. cap. 4. part. 1.
dub. ultim. num. 104.

188
Peccat qui-
dem. Peccat equidem. Quia id non est iam per-
mittere, sed concurrere, & cooperari ad pec-
catum illorum. Ita *Sanchez lib. 10. de matr. d.*
12. num. 52. Sa v. Peccatum, num. 6. Fagundez
tom. 1. Decal. lib. 4. cap. 15. num. 34.

189
Auctoris re-
solutio. Certè non peccat dominus, aut parens, qui
famulis, ac filiis non auferat aliquam furandi
occasionem, cum eos ad furandum pronos vi-
dent aut suspicantur. Sed possunt eos observare
arcam aut scrinium apertum relinquentes eo
sine, ut furto comprehensi respiciantur non tamen
eo sine, ut peccent, quia id (vt Auctores secun-
dæ sententia, quam vnicè probabilem esse reor,
profantur) non solum est permittere furtum,
sed ad illud cooperari, & positivè concurrere.
Sic etiam suspicanti marito adulterium vxoris
licitum est illam observare cum testibus ido-
neis uti eam valeat de adulterio convincere.
Quia id non est eius crimini connivere, aut
cooperari; sed illud ad proprium commodum
permittere. Aliud enim est, rogare, iubere, con-
sulere malum, & cum illo concurrere; aliud
permittere, & non auferre illius occasionem:
hoc licet, ut quis cantior fiat, & veritatem
deprehendat, illud licet nunquam.

190
Explicio, quia min-
do licitum sit de
famulis, ali-
quid secreto a
domino surri-
pere, quando
non. Iam verò quia multi famuli exiis, qui do-
minum stipendio constituto inserviunt, qui sæpe
de stipendij tenuitate queruntur, & ob illam
se conantur à furtis minoribus excusare, & sa-
pe Confessorum aures ea re obtinunt: Et
quia sunt alij ex iis, qui gratis & solum ob vi-
ctum & vestitum inserviunt: qui ita misere à

dominis tractantur, ut vis ad victum neces-
saria illis præstent: has regulas habet statuere.

Regula pri-
ma. Si attento obsequio, in quo famuli pro stipen-
dio inserviunt, & attenta multitudinè, vel pen-
uria servorum, qui ad ita inserviendum eo
tempore compariuntur, eis constituitur saltem
infimum pretium pro stipendio, quod ea in re-
gionè eo tempore affolet famulisti ministerio
servientibus constitui: ad censendam est ius-
tum stipendium. Vnde si is famulus aliquid eo
titulo usurpet, quod sibi iustum stipendium non
datur, tenetur illud restituere, nisi evidenter
constet, dominum non esse inuitum si verò eis co-
stituitur minus in summo stipendio tunc consueto:
vel quia famulus in quando se locavit, & de pre-
tione convenit, consuetum stipendium ignoravit; vel
quia coactus fuit inuitus à ministris Regis pro
eo stipendio servire, vel à quocumque alio; vel
quia necessitate compulsus non inveniens ma-
ius pro eo se locavit, cum tamen nulla alia de-
tor circumstantia, cur minus valeat suum mini-
sterium, & obsequium, quam aliorum; tunc do-
minus tenetur ei pretium augere, & restituere
vsque ad iusti infimi limites. *Molina tom. 2. de*
iust. d. 56. vers. Quod itaque.

191
Regula secun-
da. Si famulus, qui nulla mercede constituta,
pro solo victu, ac vestitu gratis domino inser-
vit, tam misere tractetur à domino, ut neque
ad victum necessaria, quæ aliis in domibus simili-
bus famulis dantur, sibi ministrantur; neque in-
dusia, caleci, galerus, & his similia conferantur:
sed domini expectent, ut ea sibi famuli aliunde
quaerant: culpandi non erunt, neque obligandi
ad restitutionem hi famuli, si ad hæc tantum
de bonis domini aliquid occultè usurpent: mo-
do à domino sibi necessaria quoad victum,
ac vestitum prius petant, si id possint sine suo
damno, & maximo rubore efficere; alioquin
enim ea poterunt sibi, haud monite domino,
sibi occultè usurpare. Quia sustentatio com-
petens, ac vestitus licet parvus iuxta commu-
nem omnium consuetudinem eis de iustitia de-
betur. *Molina ubi supra, vers. Illud est obser-
uandum.*

192
Regula tertio-
Si famulus operas suas domino locavit, ad
peragendas causas, ac sollicitando negotia: non
tenetur dominus illi augere salarium ad causa-
rum augmentum: sicut nec augetur salarium
advocati vel medici, auctis causis, vel infirmis,
nisi à principio id sit conventum. Vnde famu-
lus, si aliquid occultè furripit, nullam habet
furti exculationem. *Gutier. pract. lib. 1. quest.*
32. num. 2.

193
Regula quatuor-
Denique iis famulis, qui inserviunt mecha-
nicis magistris, ut eos suas artes edoceant, sala-
rium non debetur; imò ipsi ex consuetudine
magistris stipendia conferunt, ut edoceantur.
Vnde quicquid ex heri bonis attriperint, resti-
tuere proculdubio tenentur. *Molina tom. 1. de*
iust. d. 56. vers. Alterum est. Ador. tom. 3. l.
8. cap. 13. quest. 3. Rebel. de iust.
part. 2. libr. 14. quest.
13. num. 2.
*
*